Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8138
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Januarius

et transiens ante quoddam ydolum. cum exsufflasset in illud signans
sibi frontem. statim corruit.

f Octave Epiphanie. Item sancti Hilarii episcopi. qui nobilissimus. 13
beatissimus. et christianissimus fuit. et vastator hereticorum
validissimus. Et illum sanctum hylarium mulieres parturientes
debent invocare. que quecumque pariunt mortuos pueros.
Unde legitur quod quedam matrona prostrata ante pedes sancti Hilarii.
largiter flens. dixit. Martinus kathecuminum. i. non bap-
tizatum mortuum suscitavit. et tu episcopo suscita puerum meum.
ante baptismum defunctum. Quid multa dicam. Hylarius in
cinere orans tam diu iacuit. donec ambo simul surgerent
scilicet Hylarius de cinere. et puer de morte.

g fe Sancti Felicis presbiteri. quem iudex Ruffinus nomine tempore dyocle- 14
ciani imperatoris qui regnavit anno domini 289. Primo iussit
sanctum Felicem fustibus cedi. 2o in yma carceris truditur
et multo ferri pondere oneratur. 3o kathenatur. et sic
indomitis mulis alligatur. et tam diu per omnes civitatis pla-
teas est tractus. donec corpus eius totum esset dilaniatum
4to iterum incarceratur. ad quem angelus domini cum magno
splendore venit dicens. Noli timere. Ego a xpo domino
datus tibi sum auxiliator. et tetigit omnes plagas corporis
eius sanans eum. 5to exungulatur corpus eius a scapulis
usque ad cingulum. 6to suspenditur. capite verso deorsum.
Cui ita pendens ab hora tercia usque ad vesperam nil mali
sensit. 7o post solis occasum iterum est incarceratus
ubi celitus est consolatus. 8vo ligatis post tergum ma-
nibus in mare est proiectus. sed statim vincula quasi stupa
sunt soluta. et visus est ambulans super mare angelis
sustentantibus eum. et sic angeli duxerunt eum ad littus.
Nono a Ruffino iudice iterum capitur. et carnes eius
usque ad ossa laniantur. et in laniacione membrorum emisit spiritum.